

tatis, &c. qui personas, quacunque illa sint, ad inhonestam, sive inter se, sive cum alijs quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive ante, sive post immediatam, seu occasionem, vel praeextu confessionis huiusmodi: etiam ipsa Sacramentalis Confessionis non secuta, sive extra occasionem confessionis, in Confessionario, aut loco quocumque, ubi confessiones Sacramentales audiuntur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire: sollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, sive tractatus habuerint, in Officio S. Inquisitionis severissime, ut infra puniantur, &c. Mandantes omnibus Confessarijs, ut suos penitentes, quos noverint fuisse ab alijs, ut supra sollicitatos, moneant de obligatione denuntiandi sollicitantes, seu ut profertur, tractantes, Inquisitionibus, seu locorum Ordinarijs praedictis. Quod si hoc officium praetermiserint, vel penitentes docuerint, non teneri ad denuntiandum Confessarios sollicitantes, seu tractantes, ut supra, eisdem locorum Ordinarijs, & Inquisitionibus illis pro modo culpe punire non negligent, &c. Datum, &c. die 30. Augusti 1623. Benedict. XIV. in Conclit. Sacramentum. 1. Jun. an. 1741. confirmat antecedentem Gregorij Constitutionem, & advertendas calumnias in hoc puncto non infrequentes addit: Ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceretur, quacunque persona, quae execrabili huiusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsum innocentes Confessarios impie calumniando, vel scelerate procurando, ut ab alijs fiat, a quocumque sacerdote, quovis privilegio auctoritate, & dignitate munito, praeterquam a nobis, nostrisque successoribus, nisi in fine vitae, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinenda, quam nobis, & successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat. Praeterea de S. Univ. Rom. Inquisitionis Consilio, perpetuo inhabilitari ad Missae Sacrificium sollicitans, & ad turpia, & ab utentes Sacrificio Missae ad fortilegia, & iuber legi hoc Decretum feria 6. post Octavam Assumptionis, & in Capitulis Generalibus, & Provincialibus, Sic Decretum est 21. Aug. an. 1745. \*

Confessarius sollicitans non tenetur se ipsum denuntiare, quia nullus tenetur se ipsum prodere, ut commune proclamat axioma, deductum ex c. 87. de Penit. D. 1. & in nostro casu tenent Leand. de Penit. tr. 3. D. 13. q. 43. c. 44. Dim. p. 1. tr. 4.

resol. 8. Poteestas, tom. 2. p. 3. n. 493. Siquidem praecipuum humanum, quale est denuntiandi sollicitans, non obligat cum tam gravi documento. Et hac ratione excusantur ab eo denuntiandi Pater, Mater, Filius, vel Frater, nec alius, si inde timeat grave malum sibi, aut suis conjunctissimis, scilicet Patri, Matri, marito, filijs, aut fratribus: Nec est denuntiandus Confessarius, si jam est mortuus. Poteestas tom. 2. p. 3. n. 595. & 597. Confessarius sollicitans potest a quolibet Confessario absolvi, quia sollicitatio nullo jure invenitur reservata. Poteestas n. 601.

## TIT. XXXIX.

## De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, &amp; Interdicti.

396 **C**ensura Ecclesiastica sic dicitur a Censoribus Romanis, quorum officium erat censere, & castigare mores, & errores Civium. Et quia ipsi in hoc valde observantes erant, & rigidi, juxta illud: Rigidi quae feceris Censoris mores, etiam collega timeret, ideo censura pro correptione, & severitate sumitur, teste Nebrissenf. Prius quidem de ea agendum est, ut postea de tribus ejus speciebus, de quibus in rubrica fit mentio, suo ordine agamus: scilicet, de Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto. Censura ergo est poena spiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, & contumaci aufertur per Ecclesiasticam potestatem usus quorundam bonorum spiritualium, ita imposita, ut per eandem ordinarij absolvi possit. Suar. de Cens. D. 1. sect. 1. n. 5. Est enim poena, qua Ecclesia utitur in foro externo per modum medicinae ad infringendam contumaciam fidelium: ac proinde emendatione, & correptione posita, est auferenda censura. In quo distinguitur a depositione, degradatione, alijsque poenis vindicativis, quae ob peccatum praeteritum possunt infligi. c. fin. 2. q. 1. c. 2. q. 1. Est poena Ecclesiastica, qua solum Ecclesia utitur, non vero potestas Secularis, nisi ex delegatione Pontificis. c. 6. D. 96. c. 10. de Conf. c. 6. de Major. In Ecclesia enim sicut in quavis bene ordinata Republica debet esse potestas excludendi homines noxios a suo corpore: & suspendendi a quibusdam officijs male ea administrantibus: & alijs aliquos actus interdicens. Et quidem hac

potestate uti sunt D. Petrus contra Simonem Magum Act. Apost. 8. v. 21. D. Paul. 1. Cor. 5. v. 3. ibi: Jam judicavi, ut praesens, qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu-Christi, congregatis vobis in meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu-Christi tradere huiusmodi Satanam in interitum carnis, ut spiritus salvus sit, in die Domini nostri Jesu-Christi. Elle in Ecclesia potestatem ad instituendas, & ferendas censuras fide docemur ex praedicto, & alijs Sacrae Scripturae locis, ut probat Suar. de Cens. D. 1. sect. 2. ex n. 14. Et usus censurarum suo modo fuit obumbratus apud Judeos juxta illud Joan. 9. v. 22. Jam enim conspiraverunt Judaei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret. Et etiam apud Gentiles, ut ex Tito Livio, Caesare, Plinio, & alijs colligitur, & ex illo Poeta: innocui veniant procul, o procul impius esto. Solum enim Ecclesia potest privare utriusque bonorum spiritualium: & quidem directe privat bonis illis, quae consistunt in actionibus, & caeremonijs, quae ex sua institutione fructum spirituales, & interiorum operantur, ut sunt sacramenta, sacrificia, Officia Divina, suffragia, satisfactio Christi, & Sanctorum, quae fidelibus iustis per indulgentias applicantur: indirecte etiam privat censura bonis temporalibus; v. g. communicatione politica cum fidelibus, fructibus beneficij, &c. minime tamen potest privare bonis merè internis, qualia sunt fides, caritas, & gratia, qua fideles inter se, & cum Christo mystice sunt uniti: character Sacramentalis, vel virtutes. Quippe Ecclesia in hac jurisdictionem non habet. Suar. de Cens. D. 1. sect. 1. n. 6.

397 Censurae sunt tres, & non plures, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum. c. 20. de V. S. c. 1. c. 13. & 20. h. t. in 6. Nec alij speciei, praeter assignatas, convenit definitio censurae. Navo. Man. cap. 27. n. 1. Suar. de Cens. D. 1. sect. 3. n. 1. & 2. nam illa definitio Pontificis est doctrinalis, & ideo licet indefinita videatur, universalis aequivalet, ac si diceret: omnem censuram comprehendit sub illis tribus membris. Censura alia est a jure, alia ab homine: a jure est, quae infligitur a Sacris Canonibus, Constitutionibus, & Statutis Ecclesiasticis. Ab homine dicitur illa, quae per modum mandati, vel sententiae infligitur a Superiore. Alia est lata sententia, alia sententia ferenda: lata sententia est, quae incurritur, hoc ipso, quod crimen committatur, etiam sine alia sententia condemnatoria, c. 53. §. Verum,

de Appellat. v. g. si dicatur: Sit ipso facto excommunicatus, vel suspensus: vel excommunicatus, vel excommunicationi subjaceat Sententia ferenda est, quae licet statuta a jure sit, non incurritur ipso facto: sed tantum post Judicis sententiam; v. g. quando dicitur: excommunicetur, vel excommunicabitur, vel sub excommunicatione prohibemur, &c. & ut talis habetur quando non constat, an excommunicatio sit latae sententiae, aut ferenda, quia in dubijs est benignior interpretatio facienda. L. 55. §. fin. ff. de Reg. jur. c. 49. cod. in 6. Suar. de Cens. D. 3. sect. 3. n. 6.

398 Possunt ferre censuras potestate ordinaria S. Pontifex respectu totius Ecclesiae. Extr. 1. de Major. inter com. Concilia Generalia, & Provincialia in sua Natione, aut Provincia. Legati a Latere in Provincia sua Legationis. c. 7. de Offic. Legat. Cardinales in Ecclesijs sui Tituli. c. 11. de Major. Et ibid. DD. Episcopus, & Archiepiscopus in sua Diocesi, respectu suorum subditorum. c. 1. c. 16. de Offic. Ordin. c. 21. h. t. Eorumque Vicarij Generales: Capitulum Sedevacante, & ejus Vicarius Generalis. c. 7. h. t. in 6. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 16. Praepositi Ecclesiarum Collegiarum, & alij, qui in foro externo jurisdictionem obtinent. c. 20. de V. S. c. 1. h. t. in 6. Superiores Regulares, non solum Generales, & Provinciales: sed & locales ex privilegio perpetuo suo muneris annexo. c. 10. de Major. Congregationes, & Capitula quarundam Religionum. Navo. Man. cap. 27. n. 5. Suar. de Cens. D. 2. sect. 2. Lacr. lib. 7. n. 17. Patochus, cum non gaudeat jurisdictione in foro externo, non potest ferre censuras Jure Ordinario; arg. c. 20. de V. S. c. 1. h. t. in 6. Nisi ex delegatione, vel privilegio. c. 3. de Offic. Ordin. vel conluetudine, vel praescriptione. c. 18. de Praescript. Suar. de Cens. D. 2. sect. 2. n. 8. & 10. Lacr. lib. 7. n. 21. Ex potestate delegata possunt censuras ferre illi, quibus habentes potestatem ordinariam, eam delegarint. c. 7. de Offic. Ordin. in 6. dummodo delegatus sit homo viator, sit baptizatus, utrum rationis, & saltem primam tonsuram habeat, & non sit conjugatus. c. un. de Cleric. conjug. in 6. Summus Pontifex de plenitudine potestatis potest hanc jurisdictionem Laico, imò, & foeminae delegare. Nam cum non sit potestas Ordinis, sed jurisdictionis, eorum incapacitas non procedit a Jure Divino, sed tantum a Jure Ecclesiastico, in quo Pontifex potest dispensare. c. 12. de Major. non tamen de-

et, quod feceris hac facultas communicetur, ac proinde, nec consuetudine introduci potest, quod feceris censuras ferat. *Suar. de Cens. D. 2. sect. 3. per tot. Navar. Palud. Ugolet. Laer. lib. 7. n. 19. contra Avila, Conink, & alios.* Ut aliquis censura ligari possit, debet esse 1. baptizatus, 2. viator, id est, vivens in presenti vita, quasi in via ad alteram: mortuus enim censurari non potest. Nec enim in cadaver, quod incapax est cognitionis, obligationis, contumaciae, & emendationis, censura ferri potest, nec in animam separatam, cum jam sit extra forum, & jurisdictionem Ecclesiae. 3. Debet esse doli capax. 4. Subditus ferentis censuram. Gentiles, Judaei, etiam si Cathedumini sint, cum non subint Ecclesiae jurisdictioni, non ligantur censura. *Ex Apof. 1. Cor. 5. v. 12.* ibi: Quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? *Trid. sess. 24. de Penit. cap. 2.* Haeretici, & Apostatae, cum per baptismum sint ingressi in Ecclesiam, & sub eius sint jurisdictioni, censuris utique ligantur. *c. 5. D. 45. c. 3. §. Item, de Baptism.* Licet mortui aliquando declarentur excommunicati ad aliorum terrorem, & ne fideles, cum eis communicent in sepultura, vel precibus publicis. *c. 28. b. t.* Deinde: quando excommunicati dederunt signa penitentiae in morte, post eam absolvantur indirecte, ad hoc ut vivi possint eorum cadaver sepelire, & orare pro eis: attamen non possunt excommunicari mortui. *c. 1. c. 2. c. 4. 24. q. 2.* Christus namque Praelatis Ecclesiasticis tantum dedit potestatem ligandi *super terram* non *subtus* eam: Nam si anima defuncti est in Caelo, vel in Purgatorio, quia grata Deo non potest affigi censura: si in Inferno non est capax correctionis. *Nav. Man. cap. 27. n. 13. Suar. de Cens. D. 5. sect. 1. n. 3.* Furiosi, infantes, & alij carentes usu rationis non ligantur censura: quia non sunt capaces delicti, nec contumaciae, nec emendationis. Impubes tamen usum rationis habentes censuris a iure latis comprehenduntur. *c. 1. c. fin. b. t.* Non tamen expedit, quod censura ab homine in eos, licet possit, ferantur: ita probante consuetudine. *Suar. de Cens. D. 5. sect. 1. n. 19.* Si aliquando Ecclesia anathematizat creaturas irrationales, ut locustas, non fert proprie censuram: quia incapaces sunt doli, & peccati; sed tantum eas detestatur, & execrat, & per exorcismos relegare intendit. Sic Berengarius in *c. 42. de Consec. D. 2.* anathematizat omnem haesum; cum nec haereticus possit ferre cen-

suras, nec haereticus capaces sint censuram. Sic etiam *Josue c. 6. n. 17.* dicitur: *Sit Civitas hac* (id est Hiericho) *anathema, & omnia quae in ea sunt Domino.* Hoc est execrabilis, ac destruenda. Sic etiam Decemones anathematizantur: quin & Apostolus per quamdam exaggerationem dixit anathema in eum, qui aliud evangelizasset, quam quod ipse evangelizaverat, etiam si Angelus esset: Quo suae doctrinae firmitatem significavit. Qui vero velle: censuras proprie ferre in creaturas irrationales, superstitiosus esset. *Suar. de Cens. D. 5. sect. 1. n. 2.* nisi bona fide excusaret. In Ovetti tamen Episcopatu post annum 1532, rustici perierunt a Vicario Generali D. Didaco Perez de Villaviciosa, quod censuras indiceret contra mures, qui fructus agrorum devastabant. Vicarius assignavit Procuratorem, & Advocatum, qui mures defenderent. Et auditis allegationibus partium, Vicarius iussit sub censuris, quod omnes mures intra tres dies illud territorium desererent, & intra montium latebras se abderent. Audita hac sententia ab Advocato murium petijt, quod pontes, quae possent fluvios transire, formarentur, & quod interim sententia suae parti praerudicium non afferret: iussit ergo Vicarius, quod varia ligna in fluminibus in modum pontium superponerentur. Quo facto mures censuris, & sententiae obediunt, nullusque intra terminum praescriptum permansit in illo territorio. Sic *Gonzalez Davila*, qui processum se vidisse, testatur in *Theat. Eccles. Ovett. f. 150.* fides tamen sit apud Authorem.

399 Solum potest censura ligari, qui subiectus est jurisdictioni ordinariae, vel delegatae censuram ferentis. *c. 1. b. t.* Episcopus non solum in suos Dioeceseos potest censuram ferre, sed etiam in peregrinum in sua Dioecesi delinquentem. Quippe ratione delicti sit subditus Episcopo. *C. fin. de Foro compet.* Etiam Episcopus alienus, ibidem commorans, potest excommunicari, imò, & Archiepiscopus in Dioecesi sui suffraganei delinquens sit subditus suo suffraganeo ratione delicti, ac proinde censura ligatur. *Plgnatek. tom. 1. conf. 170. n. 8. Laer. lib. 7. n. 32.* Quamvis id neget *Lug. Resp. Moral. lib. 6. D. 22.* imò si Episcopus per praerceptum, vel sententiam specialem, sub censura aliquod delictum prohibuit, & ipse delinquens exeat ab Episcopi Dioecesi, adhuc ligatur censura, quia magis consideratur praerceptum moralis, quae in Dioecesi deliquit, quam praesentia physica, quae extra Dioecesim est non

non tamen possit agi contra eum strepitu judiciali. Si vero prohibitio sit facta per statutum territoriale, vel sententiam generalem censura adiecta, haec non comprehendit existentes extra Dioecesim. *c. fin. de Const. in 6. Laer. lib. 7. ex num. 43.* Quando Episcopus est extra Dioecesim suam non potest censuram ferre, etiam in suos subditos in Dioecesi existentes, nisi consentiente Ordinario loci, ubi est: vel nisi delictum sit adeo notorium, ut cognitione judiciali non indigeat: vel si est a sua Dioecesi expulsus: nam tunc potest censuram ferre in suos injustos expulsores, & fautores eorum. *Cl. un. de Foro compet. Papa*, cum non habeat superiorem in terra, a nullo potest censura ligari; imò nec censuris ab ipso latis tenetur, cum non ligetur suis Legibus, saltem quoad vim coactivam. Si vero in haesum incideret, tunc possit Concilium illum cogere per censuras, ut pareret. *c. 6. D. 40. Laer. l. 7. n. 22. Bellarm. de Pontif. L. 2. q. 30.* Nec Episcopus censuram a se latam incurrit, si tamen communicent cum excommunicato ab ipso incurrit excommunicationem minorem a Papa in communicantes cum excommunicatis inflictam. Reges (secus est de Proregibus) ob supremam dignitatem solum a Pontifice possunt censurari, licet olim Episcopi in eos ferre possent censuras: ut patet in Imperatore Theodosio, quem D. Ambrosius excommunicavit. *Laer. lib. 7. n. 33. Solorz. Polit. Ind. lib. 5. c. 13. f. 883.* Indi, qui sunt perspicaciores, quos Hispanè: *Ladinos* dicimus, incurrit excommunicationes Juris Communis; v. g. si Clericum percutiant. Et sic de alijs. At vero, qui rudiores sunt, & vix, quod sit censura, vel excommunicatio audierunt, nullam incurrit excommunicationem. Hi enim magis corporalibus, quam spiritualibus poenis plecendi sunt, ut Conc. Limentense disponit. *Allox. Sum. V. Ind. sect. 7. n. 17.* Episcopi non ligantur censura interdicti, & suspensionis generaliter lata, nisi expressa mentio ipsorum fiat. *c. 4. b. t. in 6.* Et cum in hoc textu nihil dicatur de excommunicatione, non debet hoc privilegium ad ipsam extendi. *Laer. l. 7. n. 34. Suar. & alij.* Archiepiscopi nequeunt ligare subditos suffraganeorum, nisi quando actu visitant, vel ad ipsos per appellationem pervenit causa. *c. 7. b. t. in 6. Laer. n. 29.* Communitas, Universitas, sive Collegium potest censura subjacere: & quidem omnes, etiam innocentes ligantur interdicto generali. *c. 17. b. t. in 6.* Solum re-

ro nocentes excommunicatione ligantur. *c. 5. b. t. in 6.* Suspensione vero, quoad actus, & functiones communitalis, quae talis, etiam innocentes tenentur: quoad functiones, & jura, quae singulis sigillatim competunt, solum nocentes ligantur. *Laym. lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 1. Castropal. tr. 29. D. 1. p. 6. & alij.* Censura lata contra aliquod delictum committentes non extenditur ad consules, vel mandantes: quia cum sit odiosa, non debet extendi. *c. 15. de Reg. jur. in 6.* nisi alias redederet censura inutilis. *c. 17. b. t. in 6.* vel nisi a Lege fiat extensio, declarando, talem casum ibi comprehendere, ut in *c. 6. §. Ille vero, b. t. & in c. 6. & 11. de Fundeis. Nav. Man. c. 27. n. 5. Sanchez. Extrim. lib. 3. D. 49. n. 2. contra Sylv. V. Excommunicatio. n. 79. Rosel. & alios.* Etiam si censura mandantes, & consules comprehendat, non incurrit illam, qui efficaciter mandatum revocavit, ita verò non sit commissum delictum; imò sufficit, ut a censura excusetur, si quantum in se fuit revocavit mandatum, vel consilium, quamvis delictum verè sit commissum: vel quia non potuit delinquenti notam facere revocationem: vel quia ille nullum revocationi annuere; quia cum jam non detur culpa, inobedientia, nec contumacia, nequit contra ipsum dari censura, quae contumaciam supponit, ut contra *Conink D. 4. dub. 15. concl. 3. n. 183. Dicast. & alios.* tenent *Innoc. in c. 6. b. t. Avila, Hurtado, & alij.*

400 Cum censuram excommunicationis majoris, suspensionis, & interdicti, prout communiter feruntur, sint poenae gravissimae, non possunt infligi nisi detur culpa: quae hic, & nunc saltem ex circumstantijs, ut in *c. 22. D. 23. c. 4. de Visa, & honest. Cler. gravis, sit, ut poena proportionetur culpa. Unde si delinquens a culpa gravi excusatur ob ignorantiam, inadvertentiam, vel aliam causam, etiam a censura delicto annexa excusatur; *arg. c. 41. c. 42. 11. q. 3. Trid. sess. 25. de Ref. c. 3. Nav. Man. c. 27. n. 9. Suar. de Cens. D. 4. sect. 4. Sanchez. in Decal. lib. 6. c. 4. n. 5. Laer. l. 7. n. 47.* Nec sufficit, si peccatum sit merè internum. Quippe hujus punitio Deo tantum relinquatur. *c. 14. de Penit. D. 1. & ibid. Glos.* Nec Ecclesia punit, nisi actus externos, de quibus potest cognoscere. *c. 33. de Simon. Imò cum Leges censuram infligentes sint poenales, & odiosae adeo stricte interpretantur, ut solum comprehendant peccatum in suo genere perfectum, atque proprietate verborum, quae**

que continentur in *Leg. c. 7. de Elect. in 6. Nav. Man. c. 23. n. 38. c. 27. n. 56. Suar. de Cens. D. 4. sect. 2. c. 3.* Excommunicatio minor à jure lata incurritur propter culpam venialem, & etiam ob culpam venialem potest ferri aliqua suspensio, vel interdictum pure personale, non reservatum: quia cum sint minores poenae aliquam cum culpa proportionem habent. *Lacr. lib. 7. n. 47.* Censura, utpotè poena medicinalis principaliter infligitur ad corrigendam contumaciam, & contemptum delinquentis contra præceptum Ecclesiae. *c. 23. de V. S. c. 1. b. t. in 6.* Et hae ratione non fertur ob peccatum solum Jure Naturali, vel Divino prohibitum. *Suar. de Cens. D. 4. sect. 9. n. 6. Lacr. lib. 7. n. 47.* Nec ob peccatum merè præteritum. *c. 48. b. t. c. 1. c. 5. c. 9. eod. in 6.* nisi fortè aliquomodo in futurum pendeat. Sic in *c. 27. 23. 9. 4. c. 10. D. 96.* Censura imponitur, ut pro peccato præterito detur satisfactio. In *c. 30. 23. 9. 4.* Sylvester excommunicat eos, qui eum in exilium miserunt, ne illum ibidem detinerent. In *c. 2. 15. 9. 1.* Gregorius usum Eucharistiae interdixit sub excommunicatione ejusdem libelli auctori, donec se manifestaret. Quae omnia in futurum pendent, ac proinde possunt continere contumaciam, contemptum, & inobedientiam, contra quam possit censura infligi. *Nav. Man. c. 27. n. 9. Suar. de Cens. D. 4. sect. 5. ex n. 6. Covar. Lacr. l. 7. n. 47. & alij.*

401 Ut quis censuras ferre possit, non solum debet habere jurisdictionem actualem, expeditam, non suspensam appellatione legitima, & eam in proprio territorio existens debet exercere. *c. 7. 9. q. 2. Clem. un. de Foro compet. sed præcedere debet regulariter monitio. c. 48. b. t. c. 19. c. 13. eod. in 6.* Nam qui monitus non est, nequit dici rebellis, & inobediens. Hæc monitio regulariter debet esse trina, vel una pro tribus, quæ spatium tribus monitionibus respondens comprehendat: nisi facti necessitas aliter suaserit. *c. 9. b. t. in 6.* Si monitio trina non præcedat, censura erit injusta, non tamen invalida. *c. 5. b. t. in 6.* nisi lata sit in communicantes cum excommunicatio ab eodem Judice: nam tunc ad valorem trina requiritur monitio. *c. 3. c. 13. b. t. in 6.* Hæc monitio debet in scriptis fieri, ibidemque est exprimenda causa, ob quam imponitur *text. in c. 1. b. t. in 6.* Præterea: prædicta monitio est prorsus coram testibus facienda ad personam rei. *c. 48. b. t. nisi hic malitiosè latet: tunc namque citatio fit ad domum*

suam, vel ad valvas Ecclesiae, vel in alio publico loco; ita ut ad eas jus notitiam pervenire possit. *c. 5. §. Porro. Ut lit. n. c. test. Cl. 3. de Elect. Suar. de Cens. D. 3. sect. 8.* Potest fieri monitio verbo tantum, quando datur causa urgens. Si tantum verbo fiat absque causa, illicita erit censura, & eam sic ferens, si Episcopus non sit *c. 4. b. t. in 6.* Ipso jure suspenditur per mentem ab ingressu Ecclesiae, & Divinis Officiis. Et si illo tempore Divinis se ingerat, erit irregularis: probabiliter tamen non erit irrita, cum nullo jure irritetur. *c. 1. b. t. in 6.* Quando censura à jure imponitur, non est necessaria alia specialis monitio, nisi specialiter in jure requiratur, cum jus ipsum perpetuo moneat; *arg. C. fin. Locat. Suar. de Cens. D. 3. sect. 8. n. 3.* Hinc, qui commisit delictum, cui ipso jure censura lata sententia est imposita, si delictum est notorium, vel per sententiam, vel ipso facto, & de eo non poeniterit reus, potest hic absque prævia monitione declarari, & denunciari à Judice tamquam censura ligatus. *c. 26. de Appellat. Nec requiritur monitio, quando delictum, & contumacia sunt notoria: nam tunc nec probatio requiritur. c. 15. 2. q. 1. c. 9. de Accusat. Suar. de Cens. D. 3. sect. 10. n. 18.* Interdictum, & suspensio, aliquando ut poena vindictiva imponuntur: ac proinde tunc non est necessaria monitio. *c. 7. §. fin. de Elect. c. 1. b. t. in 6.* Secus est excommunicatio, quæ nunquam infligitur, nisi ut vera censura. Juxta tamen in causa propria potest censuram per modum defensionis ferre, quasi vim vi repellendo; *arg. L. 3. ff. de Just. & jur. Imò per modum judicij, & sententiae, quando causa est manifesta, nec cognitione indiget. Honestius tamen est abstinere, & causam ad alium Judicem remittere, ne sinistro affectu procedatur. Lacr. lib. 7. n. 20.* Censura imponi debet voluntarie, & humano modo: nec obest si eius impositio à metu gravi procedat: nam adhuc est voluntaria, & Jure Naturali valida, ac proinde Jure Positivo etiam valet, cum nullibi irritetur, sicuti irritatur absolutio à censura metu extorta. *C. un. de His, qua vi metusdè caus. in 6.* Ut quis tamen censuras justè, & licite ferat debet non esse censura ligatus, neque interdictus aliquo Superioris præcepto, nec ex pravo affectu odij, aut vindictæ procedere debet. *Lacr. lib. 7. n. 27.*

402 Censura absolute lata, & incurfa, non cessat, etiam quoad forum internum satisfactione facta parti laesæ, &

cessante contumacia. *c. 15. b. t. Hinc Alex. VII.* hanc propositionem, quæ est 44. damnavit: *Quoad forum conscientie, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.* Cessaret verò posita satisfactione, & reus pro absolutio erit habendus, si censura feratur, quoultque reus satisfecerit. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 1. n. 11. & segg. ubi refert utriusque sententiae fundamenta. Lacr. lib. 7. n. 139.* Et quidem licet censuratur per contritionem fiat membrum vivum Ecclesiae, & hac ratione communicet cum cæteris fidelibus in orationibus, & suffragiis particularibus, & absolutus sit coram Deo, non tamen habebitur ab Ecclesia, ut absolutus. *c. 28. b. t. Suar. de Cens. D. 9. sect. 3. n. 2. Lacr. lib. 7. n. 205.* Nec cessat censura morte ejus, qui eam tulit. *c. 40. 11. q. 3. c. 11. §. Præterea, de Offic. Ordin. imò nec morte censurati plene cessat. Nam etiam eo mortuo nequeunt vivi ejus cadaver in loco sacro sepelire, nec preces publicas, & suffragia pro ejus anima offerre. c. 28. c. 38. b. t. c. 20. eod. in 6. Suar. de Cens. D. 7. sect. 1. n. 5.* Solum ergo potest tolli per potestatem concessam D. Petro solvendi ligatos: quæ potestas solum per absolutionem exercetur. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 1. n. 2.* Qui hanc conclusionem, quoad partem affirmantem, quod per absolutionem tolli potest censura, esse certissimam, & de fide asserit: quoad partem negantem, quod alio modo tollatur censura, eam ab inductione probat *ex n. 3.* Absolutio potest fieri 1. Simpliciter tollendo absolute censuram. 2. Ad reincidentiam, quando scilicet, reus absolvitur à censura, ita tamen, ut si intra certum tempus non satisfacit, vel solvat, rursus in excommunicationem incidat. Sic in *c. 22. b. t. in 6.* Qui in articulo mortis est absolutus à censura à simplici Sacerdote, in ipsam reincidit, si non se præsentet Superiori. 3. Ad cautelam quis absolvitur, quando scilicet dubitatur, an ipse incurrit aliquam censuram, vel an censura lata, valida sit, vel non. 4. Sub conditione: quando scilicet absolutio ita datur, ut aliqua conditione, non solum de presenti, vel de præterito, sed etiam de futuro deficiente, corrumpat absolutio. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 8. n. 7. Navar. Covar. Lacr. lib. 7. n. 155. & 157. contra S. Anton. Sylv. & alios.*

403 A censura à jure lata non reservata specialiter possunt absolvere suos subditos respectivè, non solum Episcopi, Abbates, Prælati Regulares, Generales, Provinciales, Guardiani, Præpositi, Rec-

tores, & alij, qui jurisdictionem habent in foro externo; sed etiam Parochi, & alij Confessarii approbati: vel quia nulla specialis facultas ad hoc requiritur, vel si hæc sit necessaria, à jure conceditur in *c. 29. b. t. ibi: Quia conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi. Suar. de Cens. D. 7. sect. 3. n. 2. & 10. Nav. Man. c. 27. n. 39. Covar. & alij.* Omnes prædicti possunt etiam absolvere à censura ab homine per sententiam generalem lata: cum hæc æquivalet censuræ à jure latæ. Ab his namque censuris possunt absolvere omnes, qui censurarum possunt absolvere à mortalibus. *Lacr. lib. 7. n. 126.* A censura ab homine specialiter lata, solum potest absolvere. 1. Qui illam tulit. 2. Ejus superior. 3. Ejus successor. 4. Delegatus. Qui enim eam tulit si non sit metus executor. *c. fin. §. fin. de Offic. Deleg. potest ab ea absolvere. c. 51. de Pœnit. D. 1. c. 11. §. Præterea, de Offic. Ordin.* Quia nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est. *L. 35. ff. de Reg. jur. c. 1. eod.* Etiam si reus domicilium mutet; *arg. c. 19. de Foro compet. Vel appellationem interposuerit. Nam adhuc à Judice Ordinario potest absolvi à censura; arg. c. 10. de Appellat. in 6.* non tamen à delegato, postquam appellationem admittit, quippe ejus jurisdictio expirat, statim ac appellationem Superior admittit. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 2. n. 26. & 32.* Non tamen potest absolvere si postea jurisdictione privetur, quia fiat excommunicatus vitandus: vel si Pontifex ex certa scientia censuram ab Ordinario latam confirmet: Nam eo ipso sibi reservat absolutionem; *arg. c. 1. de Confirmat. & defecto sibi reservat censuram ab ordinario latam in interdiciarium. c. 19. b. t. & latam à delegato Papæ si intra annum non absolvit. Itaque eo elapso, absolvere nequit. c. 26. de Offic. Delegat. 2. Superior, qui pleno jure superior est, potest absolvere censuratos ab inferiori. *c. 29. b. t.* Et cum suo jure utatur, nullam ei facit injuriam. *Clem. 2. de Elect. Archiepiscopus verò, Patriarcha, vel etiam Legatus à latere non possunt absolvere censuratos ab Episcopis suæ Provincie, nisi per appellationem ad ipsos causa devoluta sit: nam solum in his casibus habent in tales subditos superioritatem. c. 5. c. 7. b. t. in 6.* Et Archiepiscopus tempore visitationis. *c. 16. de Præscript. Navar. Man. c. 27. n. 40. Suar. de Cens. D. 7. sect. 2. Lacr. lib. 7. n. 137. 3.**

Successor, sive Judicis Ordinarij, sive delegati, cum eadem, ac ejus antecessor habeat potestatem, absolvere valet in eisdem casibus, in quibus ejus antecessor absolvere valebat: & e contra nequit absolvere in casibus, in quibus antecessor non poterat. *c. 40. n. 1. q. 3.* etiam si ad tempus tantum succedat: ac proinde Capitulum, Sede vacante, potest per suum Vicarium absolvere excommunicatum ab Episcopo, *c. unic. de Major. in 6. Suar. de Cens. D. 7. sect. 2. n. 6.* 4. Delegatus, dummodo non sit merus executor delegantis, sed habeat cognitionem causae potest à censura à delegante lata absolvere. *Navar. Man. c. 27. n. 40. Suar. de Cens. D. 7. sect. 2. n. 6.* Mortuo Papa nemo potest absolvere à censura Papae reservata, nisi Congregatio Cardinalium, vel cui Papa ante, vel Congregatio tunc commiserit. *Lacr. lib. 7. n. 150. 404.* Solum praedicti possunt etiam absolvere à censura à jure lata, quae specialiter est reservata. *c. 29. b. t. Suar. de Cens. D. 7. sect. 5. ex n. 1. Lacr. L. 7. n. 116.* Tamen pro articulo mortis, quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, potest à quacumque censura absolvere moribundum, cum pro tali casu nulla detur reservatio. *Trid. sess. 14. de Penit. c. 7. Suar. de Cens. D. 7. sect. 5. n. 2.* Debet tamen poenitens jure, se praesentaturum, elapso periculo, superiori, à quo erat absolvendus: quod si postea non faciat, reincidit in censuram. *c. 22. b. t. in 6.* Laicum posse à censuris in articulo mortis absolvere, tenent *Dian. Laym. Alloza, & alij.* Mihi tamen prolixum verum videretur, quod Laici etiam in articulo mortis, & in defectu Sacerdotis non possunt à censura absolvere, quia ex se est Laicis negatum spiritualia, & praecipue, quae ad absolutionem spectant, administrare: quod etiam respectu Clericorum non Sacerdotum locum habet; *arg. Trid. sess. 14. de Penit. c. 7. & aliunde neque ex jure, neque ex consuetudine constat, Ecclesiam hanc facultatem, non Sacerdotibus concessisse. Suar. de Cens. D. 7. sect. 6. & alij,* cum tamen *Enriq. Dian. Laym. & alij,* teneant Laicum tunc posse à censura absolvere, *ex c. 8. de Penit. D. 1. ibi: Tanta est vis confessionis, ut si deest Sacerdos confitatur proximo.* Et aliunde, illa absolutio non possit obesse, & prodesse valeat, poterit tunc Laicus imò, & debebit absolutionem impendere, in quantum valere possit. *Sanch. in Decal. L. 2. c. 13. n. 13. Lacr. l. 6. p. 2. n. 130.* Etiam Episcopus potest absolvere à censuris Pontifici reservatis, si publi-

ca non sint, nec ad forum contentiosum deducta. *Trid. sess. 4. de Reform. c. 6.* facultas absolvendi à censuris, quando sunt occultae, vel quando Papa non potest adiri juxta *Sanch. Dicast. & alios,* etiam censetur concessa Abbatibus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus. Contrarium tamen tenendum est: quia haec facultas speciali jure est Episcopis concessa. Et eorum industria censetur electa, ut tenent. *Suar. Bonac. Lacr. lib. 7. n. 141. & alij.* Etiam potest Episcopus absolvere à censura Canonis ob Clerici percussione mulieres, senes, infirmos, vel aliter impeditos adire Romanum Pontificem. *c. 13. b. t. Mendicantes, & qui cum ipsis communicant in privilegijs, possunt absolvere ab omnibus censuris Pontifici reservatis extra Bullam Coenae. Lacr. l. 7. n. 126. & 142.* In nostra Hispania potest confessorius approbatus absolvere poenitentes virtute Bullae Coenae Cruciatæ à censuris Sedi Apostolicae reservatis semel in vita, & semel in morte: quod si tales censurae sint occultae, potest ab eis absolvere, toties quoties ab alijs censuris non reservatis Pontifici, Non tamen potest Confessorius absolvere à censura incurta ob haereticam formalem externam: nam haec in ipsa Bulla excipitur.

405 Absolutio à censura, supposita potestate, & voluntate omnino libera in absolvente, solum debet dari, quando reus satisfecit parti laesae: vel si impotens sit, praestet cautionem pignorum, vel fidejussoribus: vel si hanc non possit, saltem juramento praestet cautionem de satisfaciendo. Si aliter Judex absolvat peccat: valet tamen absolutio, saltem, quando Judex Ordinarius est: nam si delegatus sit, communior sententia tenet, esse invalidam absolutionem, quamvis alij probabiliter validam propugnent. *Sanch. de Matr. L. 2. D. 33. n. 1. Laym. Li. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 8.* Potest haec absolutio dari etiam quoad forum internum extra confessionem, & etiam si absolvens non sit ordinarius in Sacris: quod pender ex concessione à Pontifice facta, cujus tenor omnino inspicere debet. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 5. n. 36. Sanch. de Matr. lib. 8. D. 16. n. fin.* Si reus intra annum absolutionem non petat, sed in censura inordescat, se suspectum de haeresi facit, & Inquisitioni subjicitur. *Trid. sess. 25. de Ref. c. 3. in fin.* Potest tamen absolutio dari extra confessionem ignorantis, & invito: & absenti per litteras, vel ejus procuratori, si aliqua justa causa hoc exigat. expedit tamen

ad reverentiam censuris debitam, & humilitatem poenitentium, quod absolutio ab ipsis petatur, & quod sint praesentes. *Suar. de Cens. D. 7. sect. 7. n. 5. Lacr. lib. 7. n. 155. & 161.* Absolutio vi, metu, vel fraude extorta invalida est. *c. un. de His, qua vi metu sive caus. in 6.* In absolutione, quae fit à Judice, decet (non tamen debet necessario) servari forma praescripta in *c. 28. b. t. & Pontificali Romano.* Scilicet, quod fiat cum poenitentiali Psalmo, & tam oratione Dominica, quam alia consueta. Ejus tamen omisio non facit absolutionem invalidam: imò, nec graviter illicitam. Debet, & sufficit, quod fiat sub quibuscumque verbis, seu scriptura, quae voluntatem absolvendi explicet, etiam si causa, non exprimat. Regulariter tamen sic fit absolutio excommunicationis pro foro externo: *Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter causam: & te restituo Sacramentis Ecclesiae, & Communioni fidelium in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Pro suspensione dicitur: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi propter causam: Et te restituo executioni tuorum ordinum, officiorum, & beneficiorum in nomine Patris, &c.* Si absolvens sit delegatus praemittit. *Authentice Omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri, & Pauli, & Sanctissimi D.N. Clementis. XII. in hac parte tibi concessa, & mihi commissa, absolvo te, &c.* Eisdem formulis potest quis in foro interno uti ad absolvendum. Et in foro poenitentiali praemittitur regulariter absolutio ad cautelam hoc modo: *Dominus Jesus-Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo à vinculo excommunicationis, suspensionis, (haec vox omittitur, si poenitens sit Laicus) & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, &c.* Quando quis pluribus censuris, etiam ejuldem rationis, est ligatus, ut potest, non solum ex diversis causis, sed etiam probabiliter ob unam causam, dum à diversis principijs, scilicet à jure, & homine, vel à duobus iudicibus procedat censura. *Suar. de Cens. D. 5. sect. 2. ex n. 4. Lacr. l. 7. ex n. 8754.* Debet in plurali absolvi ab omnibus censuris, si omnes sunt auferendae: nam bene potest absolvi ab una, quin ab alia absolvatur, cum inter se connexionem non habeant.

406 Non incurritur censura. 1. Si eam ferens jurisdictione careat, vel quia privatus est officio, vel quia jam est appellatus ab ejus sententia: siquidem post

appellationem causa eximitur à Judice à quo, & devolvitur ad Superiorem, ac proinde si tunc ferat censuram non valet. 2. Qui metu gravi coactus facit rem sub censura prohibitam, eam non incurrit: nam tunc non datur contemptus. Regulariter enim metus à precepto Ecclesiastico excusat: nisi talis metus incutiatur directe in contemptum Religionis, aut Ecclesiasticae potestatis: nam tunc potius quis debet mortem sustinere, quam Legem Ecclesiasticam violare, siquidem jam non de sola Legis observatione agitur, sed de gravi damno nostrae Religionis vitando, cujus bonum debet quilibet propriae vitae praeserre. Et Ecclesia in hoc, vel simili casu habet potestatem cum tanto rigore obligandi. *c. 5. de His, qua vi. Suar. de Cens. D. 4. sect. 3. ex n. 12. Lacr. lib. 7. n. 98.* Si delinquens habeat ignorantiam censurae, dum non sit crassa, & supina: cum tunc non detur contumacia, vel contemptus, non incurritur censura, vel si post factam sufficientem diligentiam adhuc dubitet de censura, an sit lata, vel etiam dubitet de illo facto, cui est annexa censura, tunc eam non incurrit: siquidem est in possessione juris, quod per baptismum habet ad bona spiritualia. Si verò jam censuram incurrit, & dubitat, an sit absolutus, possessio stat pro censura. *c. 39. b. t. 4.* Si peccatum sub censura prohibitum non sit in sua linea perfectum: sic quando censura fertur in homicidam, non incurrit illam vulnerator, vel percussor. 5. Si censura feratur in eum, qui innocens est in utroque foro, est nulla: & non rimenda, siquidem sine culpa non incurritur. *c. 2. c. 7. §. Potest, b. t. in 6.* Si verò delictum verè sit commissum, sed non possit probari, sic delinquens incurrit in foro interno censuram à jure lata. Judex verò, etsi privatim sciat delictum, nequit infligere censuram: vel si ferat, erit nulla, quia non est lata ob scientiam publicam, ut debebat: si tamen censura feratur ob delictum, quod verè probatum est, sed verè non est commissum: ille, in quem hoc modo fertur censura, non est ligatus in foro conscientiae, & coram Deo, nec privatus suffragijs Ecclesiae, & communiione fidelium: in foro tamen externo, & in publico debet se gerere, tamquam si ligatus esset: quippe Jus Naturale obligat illum superiori obedire, nec cum scandalo fideliū videatur Judicis auctoritatem contemnere. Nam ut ait *D. Greg. in c. 1. 11. q. 3. Sententia Pastoris, sive iusta, sive injusta fuerit, timenda est.* Sic Suarez,

*Navar. Soto, Covar. Castrop. tr. 29. D. 1. p. 8. ex n. 14. contra Gloss. in c. 1. h. t. in 6. V. Propter quam, Duran. in 4. D. 18. q. 4. Cordub. & alios, qui tenent, innocentem censuram ligari.*

407 Omnium Ecclesiasticarum poenarum gravissima est excommunicatio, qua, teste Augustino, nulla major est poena in Ecclesia. c. 17. 24. q. 3. adeo ut Coelestinus in c. 10. de judicis dicat, Ecclesiam non habere, quid ultra facias, post eam. Et ideo dicitur nervus Ecclesiasticae disciplinae, ac propterea jubetur in *Trid. sess. 25. de Reform. cap. 3.* Ne Judices Ecclesiastici temere, & ex levis causis hoc gladio utantur. Idem dicitur in *L. 47. tit. 7. lib. 1. R. Ind. Excommunicatio* hic dicitur, quasi extra communicationem Sacramentorum, & fidelium. *L. 1. tit. 9. p. 1. ibi: Descomunion tanto quiere decir, como descomunaleza, que aparta, e estraña los Christianos de los bienes espirituales, que se hacen en Santa Iglesia. Excommunicatus est, quasi extra communicationem factus, juxta illud Christi D. apud Matth. 18. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, & Publicanus, id est, ab Ecclesia segregatus. Excommunicatus est sic dictus à quodam verbo Graeco, quod separare seu eliminare significat. Sic in c. 107. 11. q. 3. dicitur: Ecclesiarum Dei violatores à gremio Sanctae Matris Ecclesiae, & à consortio totius Christianitatis eliminantur. Frequenterque à SS. Patribus, dicitur, talem segregari, & abscondi ab Ecclesia: non tamen ita, ut non maneat subiectus Ecclesiae ratione characteris: nam character nec per mortem tolli potest. Nec ita, ut non maneat unius per fidem Ecclesiae: nam fides non per censuram, sed per haeresim, vel infidelitatem tantum amittitur: sed quatenus privat excommunicatio jure proximo & morali, quod fidelis habet ad communicationem fidelium, usum Sacramentorum, & alia hujusmodi. Nec item per se privat gratia, seu charitate: quippe haec amittitur per peccatum, quod ad excommunicationem praesupponitur, & per quod peccator traditur Satanæ in interitum carnis, & à Corpore Christi separatur. c. 21. 11. q. 3. *Suar. de Cens. D. 8. sect. 1. Gonz. in c. 18. h. t. & alij. Excommunicatio ergo est censura Ecclesiastica separans excommunicatum à communione fidelium. c. 32. c. 107. 11. q. 3. L. 1. tit. 9. p. 1. ibi: Descomunion es sentencia, que estraña, e aparta al ome contra quien es dada à las veces de los Sacramentos de la**

*Eclesia, è à las vegadas de las compañías de los leales Christianos. Dicitur censura: quae se habet tanquam genus, per quod convenit cum alijs censuris. c. 20. de V. S. per alia verba ab illis differt. Siquidem suspensio, solum usu beneficij, & officij Ecclesiastici privat. Interdictum officij Divinis, secundum eorum naturam privat. Excommunicatio sanè multipliciter dividitur pro diversis respectibus: & quidem 1. Alia est valida, invalida, seu nulla alia. Excommunicatio valida est, quae à legitimo Judice propter contumacia peccatum fertur, & quidem justa erit, si debitus juris ordo servetur: quod si non servetur aliqua solemnitas accidentalis, vel circumstantia debiti finis injusta erit. Invalida est, cui aliquid substantiale deest, quia: v. g. fertur à non habente jurisdictionem, vel post appellationem interpositam, vel contra privilegium, vel quia intolerabilem errorem continet. Et haec nullum habet effectum, ac proinde nec servanda est, nisi aliquando ratione scandali. 2. Alia est major, alia minor. Haec unice usu passivo, seu receptione Sacramentorum privat excommunicatum. c. fin. de Cleric. excommunic. lib. 1. tit. 9. p. 1. Major autem privat participationem omnium bonorum communium inter fideles. c. 59. h. t. L. 1. tit. 9. p. 1. Et licet antiquitus haec vox: Excommunicatio absolute prolata pro minori sumeretur c. 12. 3. q. 4. Hodie tamen solum pro majori lumitur. c. 59. h. t. Et haec regulariter dicitur anathema. c. 12. 3. q. 4. Quae vox execrationem, & maledictionem significat. Et hinc *D. Paul. 1. ad Cor. 16. v. 22. ait: Si quis non amat Dominum nostrum Jesum-Christum sit anathema. Maran. Atha.* quae vox Chaldea est composita ex duabus, id est, *Dominus venit* quasi exterminare illum, qui Christum non recognoscit, ut *Melsiam*. Et haec est communior expositio, quasi dicat Apostolus sit anathema, qui illum non diligit, quia jam venit. Augustinus tamen sic exponit: anathema sit ille ad adventum Domini, id est, si non respiciat, & haec vox invenitur in c. 30. 23. q. 4. *Suar. de Cens. D. 8. sect. 2. n. 7. Arias Levit. Eccles. Diction. Trevoux.* Et regulariter dicitur anathema excommunicatio, quae fit cum magna solemnitate; scilicet, extinctis candelis, & alijs ritibus ab Ecclesia praescriptis. c. 106. 11. q. 3. *L. 13. tit. 9. p. 1. ibi: Entonce debe decir el Obispo, que así sea muerta su alma de aquel que descomulgan, como**

*muere aquellas candelas, si non sciere emienda à Santa Iglesia, de aquello porque lo echan de ella. E esta descomunion llama Santa Iglesia Anathema, que quiere tanto decir, como espada del Obispo, con que deben matar à los que hacen grandes pecados, è non se quieren emendar.*

408 Licet antiquitus omnes excommunicatione majori ligati essent vitandi. c. 8. c. 14. h. t. Postea tamen in Concilio Constantiensi, quadam Constitutione, hoc relictum est solum ad notorios persecutores Clericorum, & ad denuntiatos expressè: quam Constitutionem postea *Martinus V. Edidit in per celebri Extrav. Ad evitanda:* cujus tenor talis est. *Ad evitanda scandala, & multa pericula, subveniendumque conscientijs timoratis, statuit etiam, quod nemo deinceps, à communiōne alicujus in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscumque Divinis, vel extra, praetextu cujuscumque sententiae, aut censurae Ecclesiasticae, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulgatae, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in, vel contra personam, Collegium, Universitatem, aut locum certum, aut certam, à judice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè: salvo, si quem pro sacrilega manuam injectione in Clericum sententiam latam à Canone adeo notorie confiterit incidisse, quod nulla possit tergiversatione celari, aut aliquomodo juris suffragio excusari: nam à communione illius abstinere vult juxta Canonicae Sanctiones. Per hoc etiam hujusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.* Hanc litteram tenent *D. Anton. 3. p. tit. 25. capi 3. Soto in 4. D. 1. q. 5. art. 6. Victoria apud Gonzal. Suar. de Paz in sua Praxi p. 1. tom. 1. temp. 5. n. 77. fol. 48.* Et hunc sensum probat ipsa praxis Ecclesiae. Et licet in *Concil. Basileensi*, haec constitutio fuit extensa ad quoscumque excommunicatos notorios: in hoc tamen puncto non fuit confirmatum, tale Concilium à *Nicolao V.* ac proinde non habet auctoritatem, ut *Eugenius IV.* declaravit. *Sic Suar. de Cens. D. 9. sect. 2. n. 5. Laym. L. 1. tr. 5. p. 2. c. 4. Henrique, & alij DD. contra Sylv. V. Excommunicatio, 5. n. 9. Fel. Navar. & Paz in sua Pax. p. 1. tom. 1. temp. 5. ex n. 72. fol. 47.* Hodie ergo tantum sunt vitandi à fidelibus. 1. Qui sunt

expressè denunciati. *Hispanè: Puesto en la tablilla.* 2. Qui sunt notorii persecutores Clericorum. Cum his enim nullus fidelium potest communicare, sed eos tenentur vitare, nisi justa causa aliud suadeat. Alij verò excommunicati, praeter dictos, tolerati, seu non vitandi dicuntur; qui licet non possint se ingerere communicationi fidelium, fideles tamen non tenentur eos vitare; sed possunt cum illis communicare, si velint: non tamen communicare tenentur; quia cum hoc in favorem fidelium sit introductum, non debet in eorum detrimentum detorqueri. c. 61. de Reg. jur. in 6. Possuntque reculare, imperium Praelati excommunicati, declinare Judices, repellere actorem, procuratorem, & testem excommunicatos, & à Missa Parochi excommunicati recedere: nisi aliud sit consuetudine inductum, ut in Germania, ubi nequeunt Catholici excludere Haereticos à Judicij, contractibus, &c. *Laer. lib. 7. n. 184.*

409 Excommunicatus vitandus privatur. 1. Usu activo, & passivo Sacramentorum: ac proinde nequit Sacramenta administrare, nec ea suscipere. c. 32. h. t. Si Sacramentum ordinis suscipit, perpetuo suspenditur: si in eo ministrat fit irregularis. Sacramenta tamen, vel administrata, vel suscepta ab excommunicato, quamvis illicita, tamen valida sunt, cum non ex voluntate Ecclesiae, sed ex Christi institutione pendeant: nisi sit Sacramentum poenitentiae, quod ab excommunicato ministratum, est prorsus invalidum ob defectum jurisdictionis: & ab ipso susceptum, etiam est invalidum; nam excommunicatus suscipiendo tale Sacramentum contra Ecclesiae prohibitionem, caret debita dispositione cum velit à peccatis absolvi, priusquam à censura absolvatur. Si verò in poenitente detur debita dispositio, caeteraque requisita, sed forte ex oblivione, vel ignorantia, non manifestaret Confessario censuram, nec is ab ea absolveret, in hoc casu, cum nihil desit ad valorem Sacramenti valeret absolutio, cum nullo jure irritetur. *Nav. Man. c. 9. n. 7. Suar. Coe. in C. Alma, p. 1. §. 6. n. 7. Filiuc. Laer. lib. 7. ex n. 196. contra Sylv. V. Confessio, 1. q. 3. cas. 5. Vazq. de Excommun. dub. 4. Hurtad. & alios.* Potest excommunicatus vitandus, etiam licite, in extrema necessitate, quae sic praesumitur ex benignitate Ecclesiae, quae est pia Mater fidelium, administrare Sacramentum poenitentiae, & baptismi, & quando non potest moribundus confiteri potest excommunicatus ei ad-

administrare Sacramenta Eucharistiæ, vel Extreme-Undtionis. Nam tunc posset moribundus, eis susceptis, consequi salutem, cum quodlibet Sacramentum ex atritu possit contritum facere. Si verò moribundus jam est sacramentaliter confessus, non potest excommunicatus Extreme-Undtionem dare, & juxta aliquos, nec Eucharistiã. Sed Eucharistiã, etiam confesso, posse ab excommunicato ministrari ob maximam ejus utilitatem, tenet *Suar. de Conf. D. 11. sect. 1. n. 17. & 23.* Similiter, licet ministrat vitandus ad vitandum periculum mortis, mutilationis, infamie, vel gravis bonorum jacturæ, dum in contemptum censuræ non fiat ista communicatio. Quippè Ecclesia, ut pia Mater non obligat cum tanto dispendio. *Laer. l. 7. ex n. 196. 2.* Privatur communibus suffragiis, quæ non in nomine Ecclesiæ præstantur, ut sunt officia, sacrificia, indulgentiæ, quæ ex communi Ecclesiæ thesauro in satisfactionem peccatorum applicantur. Et si fortè Minister Ecclesiæ hujusmodi suffragia pro excommunicato velit applicare, nihil facit, etiam si excommunicatus vitandus contritus sit, & per eum non ster, non absolvi. *c. 28. b. 1. Suar. de Conf. sect. 3. n. 2. Laer. l. 7. n. 205.* contra alios apud ipsos. Solum in die Parasceves Ecclesia publicè orat pro Hæreticis, & Schismaticis, ut significet, Passionem Christi, quæ tunc representatur ex se ad omnes extendi: possunt tamen non solum fideles, sed etiam Ecclesiæ Ministri, ut particulares personæ pro excommunicatis, etiam vitandis, privatim orare, etiam in Memento Missæ. Nam Ecclesiæ dispositioni hæc bona particularium non subjacent. *Nav. Man. cap. 27. n. 36. Suar. de Conf. D. 9. sect. 4. n. 3. 3.* Privatur Sacrificio Missæ: nec enim eam celebrare, si est Sacerdos, nec ei assistere potest, adeò, ut si Missæ assitit, debet moneri, ut exeat, quod si nolit, novam excommunicationem reservatam Pontifici incurrat, & vi debet expelli: si hoc modo expelli nequeat, fideles Missæ interestedes tenentur saltem sub veniali recedere, ne cum ipso in eadem oblatione communicent. Si Canon nondum coepit sit, debet Sacerdos Sacrificium arumpere, si jam consecratum sit, debet subjungere sumptionem, & omisissis orationibus, & alijs, quæ post sumptionem solent dici, ad Sacrificium debet recedere. *c. 20. b. 1. in 6. Cl. 2. eod.* Si autem scienter eorum co celebrat, peccat graviter, minore excommunicationem incurrit,

& ab ingressu Ecclesiæ interdicitur. *c. 8. de Privile. in 6. Nav. Man. cap. 27. n. 33. Suar. de Conf. D. 12. sect. 1. ex n. 11. Laer. l. 7. n. 196. 4.* Nec alijs Divinis Officijs excommunicati assistere valent, ut sunt publica recitatio Horarum Canoniarum, publica processio, benedictio Chriftimatis, Olei sancti, aquæ benedictæ, olivarum, & alia hujusmodi: ac proinde, licet excommunicatus privatim teneatur Horas recitare, si Clericus, vel Religiosus sit, omisso tamen *Dominus vobiscum*, & substituto: *Domine exaudi orationem meam*; deobligatus est publica recitatione Horarum. *Nav. Man. cap. 27. n. 103. Suar. de Conf. D. 12. sect. 2. n. 13. Laer. l. 7. n. 196. & 224.* Similiter, licet possit Templum adire ibique orare, concionem audire, uti aqua benedicta, imaginibus, reliquijs, & alijs Sacramentalibus non tamen potest tempore, quo celebrantur Divina ingredi templum: quod si ingrediatur expelli debet per Ostiarios. *Nav. Man. cap. 27. n. 17. Suar. de Conf. D. 12. sect. 3. ex n. 4. Laer. l. 7. n. 210. 5.* Privatur excommunicatus capacitate ad obtinenda beneficia, officia, & Dignitates Ecclesiasticas: & etiam ad impetranda rescripta Justitiæ, aut Gratiæ. *c. 1. de Rescript. in 6.* Nam cum excommunicato sit prohibitum exercere officium Ecclesiasticum, à beneficio, utpotè tale exercitium requirente, excluditur. Irrita enim, & nulla est electio, vel collatio, qua excommunicatus, etiam toleratus, & etiam si ignoret, se esse excommunicatum, promovetur ad beneficium: quin & ad pensionem Ecclesiasticam. *Suar. de Conf. D. 13. sect. 11. ex n. 2. Laer. l. 7. n. 196. & 218.* Nec sufficit, quod beneficium collatum excommunicato acceptetur post absolutionem: nam quod ab initio vitiosum est tractatu temporis non convalescit. Si beneficium conferatur ante excommunicationem, si post eam acceptetur, invalida est acceptio: nam tunc excommunicato acquiritur beneficium; *arg. c. 7. de Cleric. excomm. Suar. de Conf. D. 13. sect. 1. n. 17. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 2.* contra Covar. in *C. Alina*, p. 1. §. 7. *Garcia de Benef. p. 7. c. 13.* qui tenent, acceptationem validam esse contra Schismatici tamen, quæ obtinuit legitime non privatur excommunicatus, sed tantum illorum fructibus. *c. 53. §. Verum, de Appellat. & quidem ipso jure, & ante sententiam: nam in illo textu equiparatur substractio fructuum privatione communicationis cum fidelibus, quæ ipso jure per excommunicationem inducitur, & in ip-*

ipso textu videtur supponi, nullam amplius actionem requiri. *Suar. de Conf. D. 13. sect. 2. n. 2. Garc. de Benef. p. 7. cap. 13. n. 90. Gutier. Can. L. 1. c. 1. n. 70.* contra *Gloss. in d. c. 59. Vazq. de Benef. c. 3. §. 3. dub. 4. Laym. L. 1. tr. 5. p. 2. c. 2.* Qui solum post sententiam privati excommunicatum fructibus tenent: ipso tamen jure privati excommunicatum distributionibus quotidianis facile omnes concedunt.

410 Sexto privatur Ecclesiastica sepultura, etiam si poenitens decesserit, nisi prius absolvatur, ut quibus non communicamus vivis, non communicemus defunctis. *c. 12. de Sepultur. c. 28. b. 1.* Si verò erat toleratus, & dedit signa poenitentiae, licet expediat, illum prius absolvi, tamen potest sepeliri in loco sacro. 7. Privatur jurisdictione Ecclesiastica, adeò ut actus non solum illicitus, sed etiam invalidus sit; v. g. sententia. *c. 24. de Sentent. & re judic.* Item collatio beneficii, vel electio, præsentatio, postulatio, vel nominatio, vel quomodocumque jurisdictionis in aliquo actu legitime exercetur. *C. un. Ne sedevacant. in 6. c. 8. de Conjuetud. c. 5. de Consec. Præb. & resignatio in favorem tertij: de quibus late *Suar. de Conf. D. 14. sect. 2. Cov. in C. Alina*, p. 1. §. 7. contra aliquos aliter sentientes. Si tamen merum factum, non jurisdictionis exercetur, ut in possessionis consecutione, hæc valida erit; etiam si ab excommunicato vitando fiat. 8. Privatur excommunicatione. 1. In Civilibus, vel in forensibus, seu judicialibus. 2. In commercio civili. 3. In Politicis. Itaque excommunicatus vitandus nequit esse Jurdex, nec arbiter, nec Advocatus, nec Procurator, nec Testis, nec Tabellio, nec Actor, potest tamen ut reus trahi ad iudicium, ne de sua malitia commodum reportet. *c. 7. de Judic.* potestque respondere, excipere, appellare, & facere, quidquid ad ejus defensionem, quæ Juri Naturalis est, conducatur: vel per se, vel per Procuratorem. *c. 8. c. fin. de Except. late Suarez de Conf. D. 16. per tot. Laer. lib. 7. n. 278.* Etiam commercium civile excommunicato prohibetur. Si tamen excommunicatus, etiam vitandus, contractum celebret illicitè, valide tamen illum contrahet; cum nullo jure intinerent tales contractus. *c. 103. 11. q. 3. c. 34. b. 1.* Potestque capere ex testamento, imò, & testamentum valide quamvis illicitè, conficere: valet quoque matrimonium, quod contrahitur ab excommunicato vitando, & etiam professio*

religiosa, quia quasi contractus naturales considerantur. *Laer. lib. 7. n. 280.*

411 Etiam ab officijs publicis, & politicis arceat excommunicatus: potest tamen exercere valide, quamvis illicitè, munera Tutoris, & Curatoris. Et si Parochus sit, potest assistere matrimonio, vel delegare alteri Sacerdoti hanc facultatem: imò & professio religiosa potest à Prælato excommunicato admitti. Nam in his omnibus non propriè exercetur jurisdictionis, sed aliqua superioritas. *Suar. de Conf. D. 16. sect. 8. Sanch. in Decal. lib. 5. cap. 4. n. 78. Laer. lib. 7. n. 214.* Denique privatur excommunicatus omni communicatione politica privata cum fidelibus in calibus, de quibus in *c. 17. c. 18. c. 19. 11. q. 3. L. 34. tit. 9. p. 1.* qui continentur in his Vericulis: *Si pro delictis anathema quis efficiatur: os, orare, vale, communico, mensa, negatur.* Dicitur 1. *Os*, quo nomine venit omne colloquium, & confabulatio, sive verbo, literis, nuntiis, vel internuntio, vel quolibet modo fiat, & quodvis signum benevolentiae; comprehenditur enim omnis sermo cum excommunicato, sive palam, sive secretè fiat, sive mutuo colloquendo, sive loquendo tantum, aut aures ei præbendo. *Suar. de Conf. D. 15. sect. 1. num. 2.* ubi dicit, quod sic explicatur ab omnibus hic effectus. 2. *Orare*, id est, communicatio in Divinis. 3. *Vale*, quo nomine saltem venit salutatio verbalis honorifica; ac probabiliter tamen alia signa urbanitatis licent; v. g. assurgere excommunicato, caput ei aperire, eum resalutare, ut tenent *Angel. Soto*, & alij. & securum in praxi judicat. *Suar. de Conf. D. 15. sect. 1. n. 5. 5. Mensa*, quæ significat omnem convictum, & convivium per modum societatis, & commercij, non tamen prohibetur communicatio casualis, quando v. g. casu excommunicatus incidit in eodem itinere, domo, vel mensa, vel lecto. *Suar. de Conf. D. 15. sect. 1. ex n. 6.*

412 Possunt tamen fideles communicare, etiam cum excommunicatis vitandis, in calibus, de quibus in *c. 103. 11. q. 3. c. 34. b. 1. tit. 9. p. 1.* qui in sequentibus Vericulis continentur.

*Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse*  
*Hæc faciunt anathema, ne possit obesse.*  
Dicitur 1. *Utile*, quando aliqua resulat uti-

utilitas, vel spiritualis, vel ipsi excommunicato, ut ipse converteretur: *arg. c. 43. b. t. vel alteri, qui ab excommunicato consilium petat, quod non facile ab alio haberi possit, vel etiam si utilitas temporalis oriatur solvendo ei debitum, vel dando ei elemosynam; vel ab eo accipiendo debitum, vel elemosynam. Suar. de Cens. D. 15. sect. 3. n. 9. 2. Lex: nam ob matrimonij legem potest conjux, sive vir, sive uxor, cum alio conjuge excommunicato communicare in reddendo debito, in mensa, & alijs domesticis obsequijs: imò, & conjux excommunicatus debitum petere potest, ut sic periculum incontinentiã vitetur. c. 31. b. t. c. 103. 11. q. 3. Suar. de Cens. D. 15. sect. 4. 3. Humile: sic excusantur servi, filij naturales, adoptivi, etiam emancipati, nepotes, affines, uti Gener, Nurus, Privignus, & privigna: famuli, pupilli, Minores, Clerici, Religiosi, Milites, qui communicant cum his, quibus subduntur. c. 103. 11. q. 3. c. 34. b. t. 4. Res ignorata: excusat enim ignorantia sive juris, sive facti, non solum invincibilis, sed probabilis etiam vincibilis, dum non sit affectata, quæ scientiæ equiparatur. c. 103. 11. q. 3. ac proinde solum hæc communicatio cum excommunicato abstinere tenemur, non quando dubitamus, sed quando nobis de excommunicatione moraliter constat per famam publicam, vel per litteras Parochi, vel per dictum duorum, vel trium Suarez de Cens. D. 15. sect. 3. ex n. 2. 5. Necessitas: necessitas enim sive spiritualis, sive temporalis excusat. c. 103. 11. q. 3. c. 31. c. 34. b. t. Prædicatores, & Confessores specialiter possunt petere ab excommunicatis elemosynas, etiam si æquè ab alijs possent eas habere. c. 54. b. t. Suar. de Cens. D. 15. sect. 3. n. 8. Nisi communicatio sit valde frequens, vel facta cum scandalo, vel præberet excommunicato occasionem perseverandi in delicto. Communicare cum excommunicato in Divinis, & Officio Divino, saltem publice dicto, peccatum mortale est ob gravitatem materiæ: imò aliquando etiam in civilibus*

Et insuper aliquando incurritur excommunicatio major. 1. Quidem si quis cum eo in crimine criminose communicet, hoc est in crimine, ob quod alter est excommunicatus præstando auxilium, consilium, vel favorem, ne respiciat ab ejusmodi crimine. Si ergo in hoc communicet scienter cum excommunicato non solum nominatim, sed etiam denunciatio incurrit excommunicationem majorem. c. 29. c. 55. b. t. 2. Si quis communicet cum excommunicato, post sententiam latam contra participantes: debet tamen prius moneri sigillatim, & specialiter, & quidem trina monitione. c. 30. b. t. c. 3. c. 9. c. 13. eod. in 6. 3. Si Clericus sponte in Divinis communicet, cum excommunicato à Pontifice, sciens, esse ab ipso nominatim excommunicatum, & denunciatum. c. 18. b. t. Navarr. Man. cap. 27. num. 98. Sanè cum per extravagantem *Ad evitanda*, nullus favor fiat excommunicatis, etiam tolerantis, dicendum est, quod tales directè privantur, eadem communicatione, ac vitandi; secus indirectè: quia fideles possunt, cum ipsis communicare; v. g. in mensa, habitatione, colloquijs, contractibus, societate, & alijs hujusmodi. Excommunicati tolerati possunt Sacramenta valde ministrare. Et si à fidelibus requirantur, etiam licitè, dum sint in statu gratiæ, & non possint prius absolutionem à censura obtinere. Et quamvis illi citè se ingerant communicationi forensi: v. g. agendo Judices, Advocatos, Notarios, vel Testes: acta ab ipsis facta valent, si à parte contraria contra ipsos non objiciatur excommunicationis exceptio, vel à Judice removeantur. Effectus mediati excommunicationis majoris sunt. 1. Quod excommunicatus per annum perseverans in excommunicatione majori ab homine lata, sit suspectus de hæresi, de levi tamen. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 3.* Et ut hæreticus, si in sua contumacia perseveret, potest puniri. c. 7. de Hæret. in 6. Similiter, qui per annum in excommunicatione perseverat pro convicto, & confessio habetur. c. 36. c. 37. 11. q. 3. Imò, & potest, si Clericus est, beneficijs à Judice privati: quod si per triennium perseveret, debet, & tenetur Judex eum beneficijs privare: quia non debet fructibus Ecclesiæ gaudere, qui adversus illam rebellis est. c. 8. de Abate, & qualitat.

413 Excommunicatio minor, sic dicta comparative ad majorem, quia facilis

lius quam illa tollitur, & ob minorem culpam incurritur, paucioribusque bonis privatur: licet olim ob plures causas incurreretur, hodie solum ipso jure, non à Judice imponitur. Et quidem ex unica causa, scilicet, ob communicationem cum excommunicato, sive vivo, sive mortuo: & sive in Divinis, sive in politicis, & civilibus. *Laer. l. 7. n. 189. Suar. de Cens. D. 24. sect. 3.* Directè tamen prædicta excommunicatio solum privat passiva receptione Sacramentorum. c. 2. de Except. c. fin. de Cler. excom. c. 59. b. t. adeò, ut ea recipiens graviter peccet, sed valide etiam Sacramentum necessitatè recipit, si illud bona fide credens se non ligatum recepit, vel si perijt absolvi ab excommunicatione minori, & Sacerdos ignorantia, vel malitia non absolvit: nam talis irritationis nullum est in jure fundamentum. *Suar. de Cens. D. 24. sect. 2.* Cum ergo excommunicatus non possit ordines suscipere, nec sacrificium Missæ celebrare, & ad hoc conferatur beneficium: ideo indirectè excommunicatio minor privat excommunicatum electione passiva ad beneficium. c. fin. de Cler. excom. ministr. L. 6. tit. 9. p. 1. & idem dicendum est de præsentatione, & collatione. Hinc, qui sic excommunicatum eligit, vel illi beneficium confert, cum præceptum Ecclesiæ in re gravi frangat, mortaliter peccat: & electio facta de excommunicato scienter, id est, quando talis excommunicatio scitur, erit irritanda, non verò est irrita ipso jure. c. fin. de Cleric. excom. Suarez de Cens. D. 24. sect. 2. ex n. 19. Barbos. & Gonz. in c. fin. de Cler. excom. & alij contra Hof. Nav. Man. cap. 27. n. 24. Covar. in C. Alma, p. 1. §. 8. n. 3. & alios, qui ipso jure irritam esse ajunt. Potest tamen minori excommunicatione ligatus alijs Sacramenta administrare, sed propter indecentiam administrandi Sacramenta, qui eis est indignus, culpam saltem venialem committet; *arg. c. fin. de Cleric. excom. ministr.* Alij tenent, graviter peccare, & habetur satis clarè in L. 6. tit. 9. p. 1. Alij tamen dicunt cum Navar. & Suar. nullum peccatum committere præcisè ob administrationem, nisi accedat Sacramentorum susceptio, ut in c. fin. de Cleric. excom. ubi excommunicatus celebravit Missam: sicque Sacramentum confecit, illudque suscepit: ac proinde peccat mortaliter. *Laer. lib. 7. n. 190.* Ab excommunicatione minori potest absolvi in foro externo, qui in

eo jurisdictionem habet. In foro interno possunt absolvi Episcopus, vel Parochus, etiam si Sacerdos non sit, cum hæc absolutio non sit actus ordinis, sed jurisdictionis. c. 24. b. t. vel qui habet jurisdictionem delegatam, qualem ad hunc effectum habent omnes Confessarij approbati: imò juxta Navar. Man. cap. 27. n. 25. & 39. Tolet. Sum. lib. 1. cap. 17. n. 7. & alios. Etiam simplex Sacerdos: qui à venialibus potest absolvi: sed p-obabilis non potest, cum in d. c. 29. b. t. non sit ei concessa talis jurisdictionis. Covar. in C. Alma, p. 1. §. 12. n. 6. Suar. de Cens. D. 7. sect. 4. n. 17. Laer. lib. 7. n. 189. & alij.

414 Quia ob percussione Clerici incurritur excommunicatio, quæ vitandum facit ipsum excommunicatum, & celeberrima est, & de qua sæpè in jure, & præcipuè in hoc titulo fit mentio, diciturque Canonis excommunicatus: de ea profectò hic agendum est. Hanc igitur decrevit Innoc. II. in Conc. Lateranensi, & habetur in c. 29. 14. q. 4. ibi: *Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegij reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit anathematis vinculo subiaceat, & nullus Episcoporum illum presumat absolviere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat. L. 2. tit. 9. p. 1. ibi: La quarta es, si alguno fiere, de mete manos ayradas, como non debe, de en Clerigo, de en Monje, de en otro one, de muger de Religion.* Hic conceditur privilegium, quod dicitur Canonis in favorem Ordinis Clericalis: ac proinde à nullo in particulari potest renuntiari; *arg. c. 12. de Foro compet.* Et hæc ratio si quis aliquem Clericum consentientem in sui percussione percussit, non liberatur ab excommunicatione. Prohibetur enim quævis contumeliosa actio exterior, & mortalis, sive gladio, sive manu, sive baculo, vel alio modo fiat: ita ut possit manuum injectio appellari: contra Clericum, vel res illius, ita ut licet respectu corporis sit levis, gravis injuria sit respectu honoris: ac proinde hæc excommunicationem incurrit, qui occidit, vulnerat, percussit, dat venenum, vel persequitur Clericum, ut in flumen, vel fossam incidat: qui illum concludit, vel detinet violentè in carcere, vel in loco, unde sine dedecore nequeat exire: qui evellit crinem, conspuat, conspurcat luto, vel pulvere, vestem lacerat, eripit pallium, vel pileum, sistit ejus equum, vel

vel aliter ipsum, vel res ejus vexat violentè. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 28.* Nec enim necesse est, ut semper manus interveniat: nam satis est pedibus percussere. Quippe illa appellatio injectionis manuum est quasi metaphora quædam, qua significatur omnis corporalis injuria. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 28.* Diciturque violenta illa injectio, non solum si naturæ; sed etiam si justitiæ repugnet, si versetur circa ipsam personam Ecclesiasticam, & per aliquam exteriorem actionem fiat, ita ut sit offensio in personam. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 23.*

415 Non tamen incurrit hanc excommunicationem. 1. Qui non injicit manus violentas in Clericum, suadente Diabolo. Et idcirco ab excommunicatione est immanis, qui solum verbis contumeliosis afficit Clericum, vel qui hastam vibrat volens percussere, sed non percussit: quia vel scdm erravit, vel illum declinavit Clericus. Nec item excommunicationem incurrit, qui tollit vestem Clerico, vel crumenam eam subripit, etiam abscindendo eam, quia hæc actio non violenta, sed fraudulenta reputatur. *Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 23.* Nec excommunicatur ille, qui occidit, vel percussit Clericum ad defendendum se, vel uxorem, vel filios, vel res suas. *c. 3. c. 10. b. t.* dum hoc fiat servato moderamine inculpatae tutelæ; *arg. l. 3. ff. de Just. & jur.* vel qui debitorum Clericum detinet, ne fugiat, ut eum suo Superiori præsentet, & suum creditum recipiat. Vel si mulier fuisse, vel verberet percussit Clericum, ut se ab ejus turpi importunitate defendat. Vel qui jocose, vel casualiter percussit: v. g. si pueri primam habentes tonsuram, le pugnibus percussit: vel qui capiunt Clericum, quem probabiliter aliquod delictum commissurum timent, ut suo superiori illum præsentent. Vel quando ob imperfectionem, vel levitatem actus percussio non esset mortalis; v. g. Siquis subita passione, sine plena advertentia percussit: vel si quis percussit, quem Clericum esse ignorat, quippe qui Laicali veste est indutus, vel quia ob obscuritatem illum non discernit: Siquidem ignorantia quæ non sit crassa, & supina excusat ab actione injuriosa statui Clericali. *c. 4. b. t.* vel si Prælati, Magister, vel Pedagogus moderatè percussit causâ correctionis subditum, vel Discipulum, etiam in majoribus constitutum. *c. 1. c. 10. c. 24. c. 54. §. fin. b. t. Pa-*

ter etiam potest castigare filium, scdm in minoribus constitutum. *c. 54. §. fin. b. t.* Et cum ibi præcisè loquatur de Clerico in minoribus, dicendum est, non posse Patrem Clericum in majoribus constitutum castigare, ut tenent *Felin. Hostiensis. Abb. Barbos. in cap. 54. b. t. ex n. 6. Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 48.* Qui præcipit Clerico exilium, aut confiniam, intra quæ se contineat, cum solum vis præcepti, & non violentia exterior interveniat, non incurrit censuram Canonis. Nec ille, qui percussit Clericum, qui hoc privilegio non gaudet; v. g. si Clericus sit realiter degradatus; *arg. c. 2. de Pœnis in 6.* vel si inventus sit turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filia, vel mulierem sollicitans, vel si exerceat publicè officium macellariorum, vel caponis. Vel si sint joculariores, butrones, vel Goliardi, & post trinam monitionem non cessent. *C. un. de Vita, & honest. in 6. Clem. 1. eod. vel si habitu Clericali dimisso enormitatis, tyrannidi, assassinii, & seditionibus se immisceant. c. 14. c. 23. b. t. c. 1. de Homic. in 6.* Vel si sint Clerici bigami bigama vera, vel interpretativa, & in minoribus constituti; vel conjugati non deferentes habitum, vel tonsuram. *C. un. de Cleric. conjugat. in 6.* vel si dimisso habitu, & tonsura se immisceant militiæ, vel alijs secularibus negotijs, & ter specialiter moniti non respiciant. *c. 25. c. 45. b. t.*

416 Hoc privilegio Canonis gaudent 1. Clerici: etiam prima tonsura initiati; etiam si nec beneficium, nec alias qualitates habeant à Trident. pro privilegio fori requisitas. *Arg. c. 1. D. 21. c. 11. de Stat. & qualitat.* Etiam si irregulares sint, censurati, vel verbaliter depositi, & etiam si conjugati sint, dum habitum, & tonsuram deserant, & si eum una, eaque virgine contraxerunt. *c. un. de Cler. conjug. in 6. Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. Lacr. lib. 7. n. 300.* 2. Monachi utriusque sexus, etiam conversi, imò & Novitij. *c. 10. c. 33. b. t. c. 21. §. fin. eod. in 6.* Equites Melitenenses. *c. 50. b. t.* & alij, qui sint verè Religiosi. Fratres Tertiarij S. Dominici, & S. Francisci, & in communi vivant, habitum deserant, & aliquod votum ediderint: secus aliter. Similiter Eremitæ privilegio gaudent, si edito voto paupertatis, sub aliqua regula, & Superiore vivant, vel alicui Ecclesiæ serviant: secus aliter. *Suar. de Cens. D. 22. sect. ex n. 19. Lacroix lib. 7. n. 300.* De Equitibus S. Jacobi, & alijs dispartit DD.

DD. an privilegio gaudeant, in quo standum est privilegij, & consuetudini.

417 Ex universalitate vocis: *siquis* in Canone positæ deducitur, omnes, & singulos utriusque sexus fideles, etiam pueros, dum tamen doli sunt capaces, hanc excommunicationem incurere, si percussit Clericum, vel Monachum. *c. fin. b. t.* Etiam si aliàs Clericus dignus supplicio sit: nam hoc debet à suo Juce imponi. Etiam excommunicationem incurrit percussus Clericum mortuum, male tractans ejus cadaver, quia injuriam statuit Clericali facit: non tamen sit irregularis, si mutilet, vel confodiat, quippe non tollit vitam membro, vel homini. *Lacr. lib. 7. n. 319.* Imò si Clericus ex malitia, vel passione se ipsum percussit injuriolè, vel occidat, incurrit excommunicationem; *arg. c. 9. 23. q. 5. Suar. de Cens. D. 22. sect. 1. n. 59. Navarr. Man. cap. 27. n. 78. Barbos. in c. 36. b. t. n. 7. & alij.* Etiam excommunicationem incurrit ipsum percussus, etiam si Clericus sui percussorem alteri mandet, vel consentiat in sui percussorem, vel occisionem. *c. 36. b. t.* quia hic favor est toti ordini Clericali, non verò privatis principaliter concessus. Non tamen censuram incurret; qui se ex devotione, & bono zelo percussit, vel fortè vulneret, etiam si in Sacris constitutus sit. Hanc excommunicationem incurrit etiam percussorem Clerici injuriosam mandantes, consulentes, consentientes, vel percussorem suo nomine factam ratam habentes aliquo signo externo; vel non impediendes, si ad hoc ex jurtia teneantur, ut Reges, Judices, & alij Superiores, dummodo ex vi mandati, vel consilij in effectu sequatur percussio. *c. 6. c. 47. b. t. c. 23. eod. in 6.* Hinc est, quod non incurretur censura, si percussio in effectu non sequatur, vel etiam si sequatur, non sit ex vi mandati, vel consilij, quia jam sit posita sufficiens revocatio. Ut mandatum sufficienter revocatum sit, sufficit, quod mandans serio significet mandatario suam revocationem verbo, epistola, vel nuntio, aut verò, ut consilium sufficienter revocetur, non sufficit notam facere revocationem, sed insuper debet proponere rationes dissuadentes à proposito: nam sicut rationes à consulente allatæ fuerunt causæ mali propositi, ita est necessarium per rationes contrarias impedire illum influxum: quod si hæc ex se sint sufficiens, & notæ fiant illi cui fuit datum consilium, & adhuc

in suo proposito ipso persistat, jam ipsi solum, non verò consulenti imputabitur percussio. *Lacroix lib. 7. n. 303.*

418 Quilibet Sacerdos in mortis articulo potest ab hac censura absolvere. Et quidem non tantum, quando pœnitens gravi infirmitate laborat, sed etiam, si aliter periculum mortis timeat; v. g. si navigationem periculosam sit facturus, vel si hostes, vel latrones, vel quid simile timeat. Sanè licet olim solus Pontifex posset absolvere ab excommunicatione Canonis in *c. 29. 17. q. 4.* Hodie tamen ex privilegijs Apoliticis possunt absolvere. 1. Legatus à latere; & quidem omnes ad ipsum accedentes ex die, quo Roma egreditur usque ad diem, quo Romam revertitur: & à quacumque percussione, & in utroque foro, utpotè Pontificia gaudens autoritate. *c. 20. b. f. 2.* Legatus missus, quem Apoliticum appellamus: sed hic solum absolvi, dum est in sua Provincia, & eos, qui de Provincia sunt, non alios, nec alibi. *c. 9. de Offic. Legat. 3.* Episcopi, & habentes quali Episcopalem jurisdictionem cum territorio. Vicarius Generalis Episcopi; & delegati ab Episcopo, vel Vicario possunt absolvere in utroque foro, sed tantum ab excommunicatione contracta ob levem percussorem. *c. 17. b. t.* Enormitas, gravitas, vel levitas percussoris arbitrio prudentum definienda est: nam licet percussio non sit levis, sed gravis in linea culpæ; est tamen levis in linea percussoris respectivè ad percussorem gravem, vel enormem. Enormis, scilicet atrox erit, si vulnus infligatur, membrum mutiletur, vel copia sanguinis effundatur, aliunde, quam à naribus. Etiam ratione loci, status personæ, & partis corporis sit enormis percussio, quæ alias talis non esset: v. g. si quis percussit Clericum in Theatro, platea, coram Rege: vel percussit Episcopum, Abbatem, Judicem, Superiorem, Nobilem, &c. vel si in facie, vel oculo graviter percussit. *Arg. §. 9. Inst. de Injur. Navarr. Man. cap. 27. n. 92.* Gravis percussio erit, si sigillatio carnis relinquatur, vel sanguis in magna copia, etiam sine læsione gravi, effundatur, vel dens, vel capillorum copia extrahatur. Levis erit, si baculo, lapide, pede, vel manu fiat, absque sigillatione carnis, vel quin sanguinis copia effundatur, nisi forte à naribus utri facile accidere solet, effluat. A censura autem ob percussorem enormem, & gravem, si delictum est oculum